Hor. Epod. XV

XV.

Nox erat et caelo fulgebat Luna sereno
inter minora sidera,

cum tu, magnorum numen laesura deorum,
in verba iurabas mea,

5 artius atque hedera procera adstringitur ilex
lentis adhaerens bracchiis

dum pecori lupus et nautis infestus Orion
turbaret hibernum mare

intonsosque agitaret Apollinis aura capillos
10 fore hunc amorem mutuum.

O dolitura mea multum virtute Neaera;
nam siquid in Flacco viri est,

non feret adsiduas potiori te dare noctes
et quaeret iratus parem,

15 nec semel offensae cedet constantia formae,
si certus intrarit dolor.

Et tu, quicumque es felicior atque meo nunc
superbus incedis malo,

sis pecore et multa dives tellure licebit
tibique Pactolus fluat

20 nec te Phythagorae fallant arcana renati
formaque vincas Nirea,

heu heu, translatos alio maerebis amores;
ast ego vicissim risero.